

quod arbitramur expediens et honestum. Noli locum tibi oblatum despicerere, sed omnibus postpositis veni prefixo tempore et illum accepta ac regraciare Deo tuo exintimis quod illum accipere meruisti. O! quam felix eris, fili, cum hereditate capias terram promissionis et cuius efficeris sanctorum Dei, vbi morum est regularitas, fraternitatis affeccio, pax animi, omnium commvniciacio, mutua obsequela, amor obediencie, vinculum caritatis, legendi libertas, vigiliarum excubie, quies meditacionis, deuocio psalmodie; et vt vno concludamus epistolam verbo, dicimus quod si hac vice non acceptaueris locum tibi exhibitum, forte alium numquam habebis, sed de fatuitate tua ages penitenciam perpetuo non tamen fructuosam sed magis luctuosam.

Item oportet te habere burellum griseum pro cuculla et mantello in principio ingressus tui et hoc circa xxx vlnas; item pro tunica nocturnali x vlnas albi burelli; istas xl vlnas eme si potes Arosie, si autem non inuenis, tunc mitte huc tempestiue pecuniam. Multa alia deberes habere, sed post introitum tuum bene ea obtinebis; cetera lator presencium; item libros, quos potes, habe tecum. In Christo valeas feliciter et longeuē. Scriptum vt supra.

2247. 1416 före d. 29 Maj¹⁾. Vadstena kloster.

Vadstena klostera skrifvelse med Johannes Hildebrandi till sitt ombud i Konstanz Torirus Andreae.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl., fol. 47.

Karissime. Commota sunt viscera nostra super tam longo vestre peregrinationis exilio et totis anime precordiis vestre afflictioni compatimur et labori, verumtamen paciencia vestra nos plurimum consolatur, que exspectacionis tedio in tanto tribulacionis tempore non est victa emulorum molestiis nec laboribus superata neque desperacionis fulmine interfecta, vnde Altissimo merito gracias agimus infinitas, qui sic ea facit fortissima per gratiam, que sunt debilia per naturam; et quia ex serie literarum vestrarum nobis directarum et relatione nunciorum intelleximus confratrem nostrum Lucam debilem et infirmum aut de seculo forsitan iam egressum et compacientes desolacioni vestre latorem presencium Johannem Hildebrandi vobis mittimus in solacium et iuuamen, qui statum nostrum nouit et beneplacita voluntatis scit plenius vobis indicare quam nos per literas explicare, et si facundie non gaudet priuilegio, viget tamen in consilio saniori et solacio fraternali, quem suscipere fraterne dileccionis velitis amplexibus caritatis studio peramandum. Item in reditu vestro faciatis nobis fieri vnum sigillum conuentuale magnum et satis decens et similiter vnum secretum, nam sicut scitis hiis necessario indigemus. Item petistis in literis vestris renouatum procuratorium vobis dirigi, sed non credimus hoc multum necessarium cum non statis in materia litigiosa sed tantum pro gracia impetranda laboratis; item quecumque agenda uel omittenda fuerint, vos, qui iam melius noscitis, maturius hec pensetis. Cetera, que desiderat anima nostra, lator presencium bene nouit. Personam vestram conseruet Altissimus semper incolumem et felicem.

¹⁾ Datum hänföres till Johannis Hildebrandi afresa till Konstanz, som egde rum ofvanstående dag.

Abbatissa ac confessor generalis atque vterque conuentus monasterii sanctarum Marie virginis et Birgitte in Wazstena, vestre sorores dilecte et confratres sinceri.

Religioso viro fratri, nostro confratri in Christo plurimum nobis dilecto sincere presens detur.

2248. 1416 före d. 29 Maj¹⁾. Vadstena kloster.

En munk i Vadstena till klostrets ombud (Thorirus Andreæ) i Konstanz angående indulgens för pilgrimer, som anlända till klostret.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl., fol. 47.

Karissime. Noueritis me vna cum vtroque conuentu possidere corporalis priuilegia sanitatis et prosperis successibus congaudere, et licet hec habeamus, nichil tamen nos habere putamus donec commissa vobis negocia fuerint feliciter expedita; viriliter igitur agite et attendite in omnibus nostram necessitatem et feruentissimam voluntatem, quam nouit frater noster Johannes Hildebrandi fraternitati vestre plenius enarrare, cum sit de huiusmodi specialiter informatus, neque negligat vestra fraternitas, si fieri commode potest, exequi nostrum affectum in illis articulis, quos alias in quadam rotula confratri nostro Lucæ transmisiimus, a sede apostolica impetrandos, quorum aliquos eciam prefatus confrater noster . . secum habuit connotatos, et non priuaremur indulgenciis dominice letare, libentissime videremus quod in diem natiuitatis Johannis Baptiste transferri possent, et vnam declaracionem de remissione iniuncte penitencie procuretis, quia inconueniens videretur vt peregrinis de remotis partibus huc venientibus non debeat aliquid de iniunctis eis penitenciis indulgeri, cum tantis indulgenciis gaudeamus.

2249. 1416 efter d. 29 Maj²⁾.

Konung Eriks bref till kardinalerne m. fl. vid mötet i Konstanz med rekommendation för Vadstena kloster.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl., fol. 65 v.—66.

Reuerendissimi in Christo patres et domini, deuota nostri recommendatione in Domino sincerissime premissa. Quamquam ad laudem et gloriam illius summi opificis et architecti sapientis, qui domum suam supra firmam petram voluit edificari, feruenter in votis gerimus atque fixum corde tenemus, qualiter omnium sacrarum

¹⁾ Se nästföregående not.

²⁾ Odateradt; möjligen samtidigt med N. 1862 (af år 1414) eller med N. 2086—2088 (af år 1415), som röra samma angelägenhet; den i slutet införda rekommendationen för klostrets »procuratores, qui *pronunc* in sacro concilio Constanciensi ac Romana curia *commorantur*», kan gälla klostrets båda ombudsmän Thorirus Andreæ och Johannes Hildebrandi, af hvilka den senare anträdde sin resa först den 29 Maj 1416.